

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM die Iovis 21. Ianuarij.

M. NICOLAO CAPPON, DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

Est ne vnius naturæ opus Crisis?

I.

VIVENTIS caduca, quia non una, constitutio divisit jura naturæ, valetudo ulli vix solida & integra, causaria pluribus, & in morborum genus omne facili flexu. Illinc sola regnat, hinc cum arte sic regnum dividit, ut præsit semper, nihilque eius ingratiis cedat in commoda valetudinis; sic vt φύσιν ἀφανέα nulla vitæ sors fugiat, dúmque inaspectabilis saluti consulit, opere & eventu se prodit; quin imò nihil vsquam haberet ars operæpretij, si semper & ubique regnaret; illius nempe fundi est princeps vitæ tutela & gratia reciperatæ salutis, quam facit aut destruit primorum corporum humorúmve ad κρῆσιν καὶ μετριότητα vitæ officiis idoneus alienúsve commensus; Illinc vitæ à carceribus ad metam æqua securitas integritásque, hinc querelas dubiæ primùm valetudinis morbus excipit & vrget, sicque regno naturam exuit ut nusquam interregnum sustineat mortalitatis conditio.

II.

VIDEN quot in sanis naturæ artes, quot opera, omnia perpulchra, omnia circumscripta ac definita, omnia ἐν διαφορᾷ. Viden ut naturæ vires in uno hepate sitæ ad nutritionem & ortum, in corde ad vitæ lares, in cerebro ad motum sensúmque & principis animæ munia, cæterarúmque partium, ac totius οὐλομελίην, indefesso opere allaborent: una tamen & prima vitalis animalísque functio-

nis μοῖρα labésve ab officinâ manat naturali, ubi nempe huius facit vitium δ.ίμος, inde fundi calamitas venit, morborúmque semina συγκείσεως aut διακρίσεως intestino errore surgunt ac sobolescunt, hinc omnis qui naturam exercet labor quæque excoquit sollicitudo, quò profutura bonæ frugi reddat, nocitura secernat & extra corporis limen curet temporiùs deportari, ità etiàm in sanis κεῖον meditatur ijsdémque usa legibus sanitatem tuetur membris & revocat.

III.

CRISIM namque neu audias modò omnem quæ vi ac subitò in morbis mutationem ad salutem aut ad mortem; perenne siquidem quo natura agitur studium διακρίσεως in oculos haud semper incurrit. Crisis etiam ex occultò nonnunquàm dùm fit latet fallítque moræ tædium morbi λύσις, aut μαράνσει omnis eius sine sensu impetus elanguescit vincitúrque; quinetiam interdum per tristiores quæsitæ salutis vindicias morbum morbo quum redimit μεταστάσει speciem quamdam subitæ crisis adùmbrat ac repræsentat. Nihilominùs nusquàm luculentiore documento sibi vindicat & tuetur principem titulum medicatricis, quàm cùm decretorio conflictu simul & semel apertâ vi cum humore morbifico cernit; & si non quivis morbus tantùm laboris & contentionis requirat semper aut ferat, parvus non tanti est ut naturam ad certamen provocet, nec vllam ad criticum congressum ipsi copiam facit ultimi vis maleficij in κακούργοις. Crisis modum humoris alia atque alia indoles, morbi ἦθος, affectæ partis natura, situs, consensus variè destinat temperat & regit. κατ' ἔκκρισιν paratissimus ut cedat biliosus serosúsque, vbi πεπασμὸν ille, is πεπασμοῦ succedaneã ἐπικράτησιν dedititius subierit, si par naturæ votis robur respondeat, secus κατ' ἀπόθεσιν ubi alieni succi ἀπεράμνου, βραδυπόρου, δυσδιαφορήτου καὶ δυσυποβιβάστου limo & fœce gravis laborat, undè hæc contumaces & diuturnos affectus manet crisis, illa acutos & naturæ faciles.

IV.

NEC tùm verò otiosa ferias agit ars medentis, cuius provinciæ procuratio haud exigua imò tota ire in studia naturæ, illíque maturiùs consulere, ac obstetricari tandem crisim conanti, quod suarum modò est partium is teneat, immœne ac capitale facinus ducat semper, prima inter morbi cunabula momentoso huic illius negotio prævortier & præcipiti purgatione provt Hippocratis lege cautum est τὸ προεκκρίνεσθαι occupare, quod plerique non impunè factitant nullâ habitâ naturæ τὰ δέοντα opportunò curantis reverentiâ, vel dierum temporúmve religione quibus illa semper

ducitur, morbus verò quò capitalior eò renunciat magis, satis pro munere habet Medicus humorum adornare πεπασμὸν, lentorem incidere, tenuare crassitiem, vias laxare, providúmque desideratissimæ διαφορήσεως quod oneri futurum aut viarum impedimento tempestivè statísque naturæ legibus & exemplo subducere, ac tandem ubi ipsa in procinctu est velut excubantem & in statione positum ἡσυχίαν agere. sic artis & naturæ divisum imperium suas habet patitúrque vices.

V.

DOMINAM δικαιοτάτην, magistram αὐτοδίδακτον ars ministra licet interdùm anteit, sæpenumerò sequitur, comitatur semper. Suis quidem quæ excidêre commissuris ossa aptat vnà & vinculis continet, fracta legit ac componit, diducta vulnerum labra adducit, fibulis, acu, lino colligat gentili. Natura robore complet illius opus & perficit, gratuito ferrumine quovis ceromate melior, vna solidat, cava explet, obducit cicatrice. Si conciliandi in gratiam ab alienati humores, cogendi in ordinem, alternantibus operis hæc & illa prę̄stò est; alterandis, concoquendis, reddendísque antiquæ legi vacat utraque: In consentanea loca ab imis ars devocat recessibus salutares prætendens θεῶν χεῖρας, evocatos copiâ ἐρεθισμῷ & orgasmo feroces qua data porta natura confestim (si potis est) ἀρτίως & ἀλύπως expurgat, vel in angiportu fideli custodiâ seponit ad tempestivam discessionem. Tantæ molis opus ex eventu mirere, summa morbi & valetudinis tam brevi intervallo dividi & conjungi, cuius pręsentariæ gratiæ beneficium ad utramque redit, quando sic huic illique incumbit ὁμορροθεῖν résque ægri concordi operâ magistrâ arte ab æstu & jactatione reflantis morbi in vado collocare.

Non est ergo vnius naturæ opus Crisis.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Nicolaus Rainssant.	*M. Antonius Ruffin.*	*M. Ioannes Garbe.*
M. Iacobus Boujonnier.	*M. Petrus Pourret.*	*M. Paulus Courtois.*
M. Ioannes Grout.	*M. Antonius de Caën.*	*M. Petrus Moriau.*

Proponebat Lutetiæ PHILIPPVS MATHON Abbavillæus.
A. R. S. H. M. DC. LXVI.